



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 83. Connubium Isabellæ de Castella cum Ferdinando Arragoniæ filio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

ram pugnam prospero Marte committit, Sæcul. XV. A.C. 1470.
 auctusque novo quindecim millium ex-
 exercitu, quem in Ruscinonensi, & Cereda-
 no comitatu conscripserat, Cataloniam
 ingreditur, eamque ferme totam suis ar-
 mis subjicit: cum eccè! in medio victo-
 riarum cursu Barcinone febris ardentiore
 corripitur, ac vitæ stadium absolvit cir-
 ca finem Anni post Christum natum mil-
 lesimi quadringentesimi septuagesimi, post-
 quam nonnisi quadragesimum quintum
 ætatis suæ annum expleverat. Dux iste e-
 rat solius sibi infensæ fortunæ injuriis
 expositus, cetera inter ævi sui celebra-
 rimos Principes facile numerandus; pru-
 dentia enim, atque belli peritia sum-
 mus, & Victoria pluribus in præliis re-
 portata inclaruit, sed semper aut ab
 aliis proditus, aut a suis derelictus, aut
 auxilio ferme destitutus succubuit. Hu-
 jus obitu belli flammæ non parum sopi-
 tæ, paulo post omnino extinctæ sunt.

§. LXXXIII.

*Connubium Isabellæ de Castella cum
 Ferdinando Arragoniæ Regis
 Filio.*

Joannes Arragoniæ Rex, ut de Rege Marian. hist. Hisp. lib. 23. cap. 13.
 Castellæ vindictam sumeret, eo inscio
 Ferdinandum Filium suum cum Isabella
 Henrici Sorore connubii vinculo sociare
Hist. Eccles. Tom. XXIX. Z me-

Sæcul. XV.
 A. C. 1470.

meditatur, remque supremo militiæ Præfecto, ejus Patruo, & Toletano Archiepiscopo conciliantibus, Vallisoleti clam nuptiæ celebratæ sunt. Re comperta Henricus, ut Genero suo æmulum potentia haud imparem opponeret, suam quoque Filiam Aquitanniæ Duci Ludovici XI. fratri nuptui dare statuit. Nec repulsam tulit Henricus: cum vero mortis invidia Dux paulo post e vivis eriperetur, connubii pacta suo caruere successu. Castellæ Rex spe sua frustratus, sibi regni Proceres collatis dignitatum honoribus arctius devincire decrevit, ideoque Placentiæ Comitis Filio Alcantarensem Principatum dono dedit, ipsum vero Comitem Arenuli Ducatu, qui erat Isabellæ assignata reddituum portio, locupletavit, postea vero Alvæ Comitatum Ducatus jure & prærogativa auxit, novoque illius Duci Graciensem, ac Berconensem Marchionatum donavit. Sub idem tempus Henricus accepto nuntio, quod Geopilara, ac Viscaya Provinciæ in duas scinderentur factiones, confestim eo destinavit copias, Ductore Harone, qui sedato tumultu dignas a nocentibus poenas exegit.

§. LXXXIV.